67. 9

Clme vir et frater in Christo hon. Veneram Basileam eo animo, sicuti tibi dixeram, ut hic hyemarem. Sed Deus aliud statuit de me, vocat me ad ministerium oppidi, quod est apud Raetos cui nomen Vicosuprano, cui vocationi nullo modo resistendum putaui. Itaq; eo proficiscor ipso duce Deo. Quum vero ego te ex animo diligam, volui tibi rationem verum meorum reddere, et simul rogare ut una cum fratribus Deum ores pro me. Feceris mihi rem gratissimam si quando ad me scripseris. Literas Curiam mittito, nam inde ad me facile perferentur, ego vicissim sepe ad te scribam. Mitterem ex meis libris quos modo impressi sed sunt lingua Italica scripti, verbatur tamen propediem vertetur tum in Latinam, tum in germanicam, et curabo ut habeas aliquot exemplaria, Catalogus eius versus est in utraq; et cito edetur. Vale frater hon, et me ut facis ama, Saluto Rectorem atq; omnes istius bonae ecclesiae ministros. Rogate Deum pro me inquam,

Basileae XX die Ianuarii 1550

Vergerius



Clmo viro D. Ioac-
chimo Vadiano Fra-
tri optimo.

Sanghall.